





44

Handwritten text on the right edge of the page, partially visible.



angels. 26

*Disputatio Trigesima Quinta.*

# DE LEGATIS.

## QVAM

*Diuina fauente Triade,*

*Subpræsidio*

CLARISSIMI CONSULTISSI  
MIQVE VIRI. D. PAULI GRASECCII  
I. V. D. ac Professoris in celebri Argenti-  
nensi Academia ordinarij examinan-  
dam proponit.

IOHANNES SIGISMVNDVS  
*Lupin Memmingensis.*

*Horâ locoq, consuetis.*



*Argentorati, excudebat Antonius Bertramus*  
*M. D. XCV.*





Genere, Eruditione, Virtute-

QVE PRAESTANTISS. IUVENIBVS.

D. PETRO EBERTZ ISNENSI

I. V. CANDIDATO ADFINI SVO CONIUN-

ctissimo Amantissimoq;

ET.

D. M. ANDREAE AMPTMAN-

NO CLAUDIFORENSI LL. CANDIDATO,

amico suo optimo atq; in-  
tegerrimo.

*Ioh. Sigismundus Lupin*  
*Memmingsis.*

*Hasce de legatis theses*

IN.

*Veteris amicitia Μνημόσυρον & Grati*  
*animi monumentum*

DD.



# THESES DE LEGATIS ET fidei commissis.

## I.

**E**Xpedita hæcenus testamentorum materia, qua res vniuersæ nobis acquiruntur: conuenienter sequitur, vt de accessorijs, legatis videlicet & fidei commissis, quibus res singulas nanciscimur, hoc pro exercitio paucis agamus.

Conti-  
nuatio.

2 Legatum à legendo deductum videtur arg. l. 116. in pr. ff. de legat. 1. Etymo' Wesenb. in parat. ibid. n. 2. Et bisariam in iure nostro accipitur, late sci- lucet & strictè Mynsin. in pr. Inst. h. t. gia.

3 Late & in genere sumptum quamlibet potestatem heredis instituendi, libertates legatae dandi, aut tutelas constituendi complectitur, secundum illud l. 12. tab. Vti quisq; legasset suæ rei ita ius esto l. verbus legis 1. o D. de V. S. l. in generali 80. eod.

4 Specialiter & strictè ( prout hoc loco accipimus ) ad testamentarias tantùm donationes rerum singularium refertur.

5 Hinc definitur legatum donatio quædam à defuncto relicta ab herede præstanda §. 1. Inst. h. t. Aliter videtur definiri in l. 36. de legat. 2. & l. 116. de legat. 1. quas tamen ab hac nostra non mente & sententia, sed verbis solummodo discrepare putamus

Definitio.

6 Quæri hic non incommodè potest, an verba testatoris, quibus alicui quid se donare scribit, veluti Titio dono, donationem an legatum significant? Non donationem, sed legatum esse asserimus: quia testamento alienus actus non immiscetur, sed eodem contextu perficitur l. heredes 21. ff. qui test. fac. pos. l. verba contraxerunt 20. de V. S.

7 Genera legatorum olim erant 4. per vindicationem, damnationem, sinendi modo, & præceptionem §. 2. Inst. de legat. Quid inter hæc olim fuerit discriminis vide apud. Theophi. §. 1. Inst. de legat. Vlp. t. 24. Caium lib. 2. t. 5. Paul. lib. 3. sent. t. 6. Diuisio seu genera.

8 Verum hæc omnia per Imp. Iustin. sublata sunt: ita vt hodiè vna eademq; legatorum sit natura & vis d. §. 2. Inst. h. l. 1. C. commun. de legat.

9 Sic etiam inter legata & fideicommissa olim magna ac multiplex erat

A 2 differentia.



differentia, legati namq; strictior & angustior: fideicommissi verò latior & pinguior erat natura tex. in § 3. Inst. h. t.

10 Iure nouo tamē legata per omnia fideicommissis sunt exaequata, ita vt re ipsa nullum inter ea sit discrimen: sed omnia quae naturaliter in,unt legatis, & fideicommissis inherere intelligantur, & contra d l. 2. C. Com. de legat. Vlp. in l. 1. de legat. 1. Unde dictum & fideicommissum legati appellatione contineri l. & fideicommissum 87. de legat. 3. Hoc tamen intelligo, quoad effectum: nam quoad substantialia apparet adhuc aliquod discrimen inter ea duo.

Causa efficiens remota.

11 Efficiens legatorum causa alia est propinqua, alia remota. Remota est l. 12. tab. liberam legandi facultatem nobis tribuens l. 120 de V. S. & quidem Ius publicum. argumento l. 3. Qui testam. fa. ce. possunt. & l. 1. ff. ad l. Falcid.

Propinqua.

12 Propinqua sunt ipsi testatores: omnes n. ius testandi vel testamenti factionem actiuam habentes, legata relinquere possunt l. 2. de legat. 1. & ibi Duar. l. 1. de legat. 3. Vlp. in frag. t. 25. §. 3.

13 Econtra omnibus testamenti factionem passiuam habentibus rectè legari potest, vt sunt omnes ij, qui ex testamento aliquid capere possunt §. legari 24. Inst. h.

14 Vnde deportatis l. 1. C. de hered. inst. in metallum damnatis l. 3. ff. de his quae pro nō scrip. hereticis & apostatis l. Manichaeos 4. C. de hered. & Manich. alijsq; de iure intestabilibus personis inutiliter legatur.

Quaestio.

15 Spurijs vel ex incestuoso & damnato coitunatis de iure quidem ciuili legari nō potest, vt patet ex Auth. ex complexu C. d. incest. nupt. equitate tamen iuris Canonici, rigorem iuris civilis hac in parte mitigatis, alimenta ipsis relinqui posse defenditur c. cum haberet, Extra. de eo qui dux. in matr. quam poll. per adult. Vide D. Gaill 2. obser. 88.

16 Heredi quoq; à semetipso non rectè legatur l. & quidem 18. l. planè 34. §. 11. l. legatum 116. §. 1. ff. de legat. 1. cum nemo & heres & legatarius simul esse possit, id quod hac ratione fieret §. legatum Inst. eod.

Quaestio.

17 Seruo heredis an legari possit quaeritur? Distinguendum dicimus inter purum legatum & conditionale. Purè inutiliter illi legatur: quia tale legatum statim domino heredi acquiritur §. an seruo 32. Inst. h. t. & ita vnus idemq; & heres & legatarius fieret.

Quaestio.

18 Quid si viuo testatore de potestate ipsius exierit? Adhuc idem obtinere dicimus. Ex regula siquidem Catoniana legatum ab initio inutile ex post facto non conualescit l. quod ab initio 29. de R. I. d. §. an seruo.



19 Sub conditione datum legatum valebit, si ea existente in potestate heredis seruus amplius non fuerit d. S. & l. Iulianus 86. ff. de condit. & demonstrat.

20 Extraneo seruo & purè & conditionaliter rectè legatur; modò illud legatum tam ex persona domini quam serui subsistere queat.

21 Ex persona domini, vt nimirum cum domino sit testamenti factio: quia legatum seruo relictum ex persona domini non serui vires suas capit l. debitor 82. S. seruo 2. ff. de legat. 2. l. si mihi & tibi 12. S. regula. de legat. 1. Ex persona serui verò, vt is liber factus capere possit d. l. 82. S. 2.

22 Incertis porrò personis (veluti si testator dicat, qui primus ad fanus meum venerit, vel qui primus Urbem ingressus fuerit, hoc vel illud do lego.) olim nec legata nec fideicommissa relinquere poterant; quia vt ait Vlp. in fragm. t. 22. certum testantis consilium esse debet.

23 Excipiebantur legata pijs causis relictæ l. id quod 24. & l. si quis 49. C. de Episc. & Cler.

24 Incerta tamen ex personis certis vtiliter legabatur, vt ex cognatis meis qui nunc sunt, si quis Seiam vxorem duxerit centum dari volo S. incertis Inst. h. l. quidam relegatus 5. ff. de reb. dub.

25 Eadem siquidem ratione etiam ciuitati, collegio, corpori, & vniuersitati olim legari non erat prohibitum l. ciuitatibus 122. de legat. 1.

26 Hodie verò de iure nouo, vt libertas incertis personis dari; ita & legari iisdem potest S. sed nec 27. Inst. h. t.

27 Quò ad certas personas nihil obstat, etiamsi testator in nomine, prænomine, cognomine, aut agnomine legatarij errauerit, vt si Titium pro Seio dixerit l. si in nomine 4. C. de testam. l. si quis 4. de legat. 1. S. si quis in nomine 29. Inst. eod.

28 In proprio rei nomine error interueniens (vt si quis fundum Cornelianum legare volens, Sempronianum nominet.) legatum non vitiat; quia in corpore non est erratum l. 4. in pr. ff. de legat. 1. l. si Fortidianum 7. C. de legat.

29 Diuersum statuitur, si in appellatiuo fuerit erratum nomine, vt si quis vestem legare volens dixerit, se argentum legare d. l. 4.

30 Sic etiam falsa demonstratio legatum non inutile reddit, vt si quis Titio filio legauit, qui tamen erat nepos l. falsa demonstratio 33. cum l. seq. ff. de condit. & demonstrat.

31 Idem & de falsa causa impulsua, non conditionaliter adiecta dicen-



dum, vt cum Titio legauit quis, quia negocia sua procurauit, cum tamen nulla is procurasset §. longè magis 31. Inst. h. d. l. demonstratio §. 2. l. 2. C. de Fals. ca. adiect.

32 His n. omnibus casibus valet legatum, dummodo de persona, cui legari testator voluit certò constet d. §. 29. Inst. h. Hac n. tanquam substantia cognita, non curatur nomen, demonstratio, seu falsa causa qua sunt accidentia.

Materia. 33 Materia legatorum sunt res quæ legari possunt: Eæ sunt multiplices & varia; propriae vel alienæ, corporales vel incorporales presentes vel futurae, cum seruus 39. ff. de legat. 1. §. non solum. cum §§. seqq. Inst. eod.

34 Generaliter autem tenendum, rem quam legare volumus, in commercio hominum esse debere. Nam si non potest esse in commercio, adeò non valet eius legatum, vt nec æstimatio eius debeat, veluti si quis campum Martium, templa aut hortos Salustianos; vel quæ publico vsui destinata sunt legauerit tex. in d. §. non solū. vers. sed si talis Inst. h. & d. l. 39. §. pen. & vlt. ff. de legat. 1.

Quæstio. 35 De re in hostium potestatem peruenta an legari possit queritur? Et si res nostra sit, legari posse, taleq; legatum iure postliminiæ consistere dicimus l. id quod 9. l. seruus 98 ff. de legat. 1.

Quæstio. 36 Quid si res planè hostium est in quam ius postliminiæ non cadit. Distinguendum; aut n. istiusmodi rerum emendarum copia nobis datur, aut non datur. Priori casu legatum admittendum putamus l. ab omnibus 104. §. etiam 2. ff. de legat. 1. & ibi gloss. Donell. lib. 8. comment. iur. ciuil. c. 11.

37 Potest tamen vna eademq; res non vni tantum, sed & duobus pluribusue relinqui: idq; vel coniunctim vel disiunctim l. si pluribus 33. de legat. 1. §. si eadem 8. Inst. eod.

38 Si coniunctim legatur tum illa coniunctio diuersimodè fieri solet. Aut n. sit re tantum, vt Primo fundum Cornelianum, do lego: Secundo eundem fundum Cornelianum do lego. l. re coniuncti 89. de legat. 3.

39 Aut verbis tantum vt Titio & Seio fundum Thusculanum ex æquis partibus lego. d. l. 89. & l. si ita. 66 ff. de hered. instit.

40 Aut re & verbis simul vt Titio & Seio fundum Thusculanum do lego.

41 Re ita coniunctim duobus legata, Si ambo perueniant ad legatum, inter eos scinditur, ita vt primus dimidiam, secundus alteram dimidiam partem accipiat §. si eadem res Inst. h.



42 Altero verò deficiente, si nimirum aut spreuit legatum, aut viuo testatore decessit, totum ad collegatarium iure accrescendi accedit l. 1. ff. de vsuf. accresc. d. l. re coniuncti. 89. de. legat. 3. Cuiac. lib. obser. 24. c. 34.

43 An in omni coniunctione etiam verbalius accrescendi est admittendum? Id quod arbitramur per l. 16. in. fi. de legat. 1. l. vnic. S. his ita C. de caduc. toll. Dissent. Accurs. in l. pen. ff. d. vsuf. accresc. Cuiac. 25. obser. 4. & 24. obser. 34. Quaestio.

44 Sic maritus uxori suae dotem legare non prohibetur l. cum scriptum 6. S. 1. ff. de dot. praeleg. S. sed si uxori 15. Inst. de legat.

45 Vbi tamen refert, legauerit ne eam quam accepit, an verò quam nondum accepit. Priori casu utile est legatum ex hac ratione: quia plenius est legatum quam de dote actio d. S. sed si uxori 15. Inst. h.

46 Posteriori casu rursus distinctio adhibenda. Aut n. legauit simpliciter, nulla expressa quantitate, veluti uxori dotem do quam mihi dedit, & non subsistit legatum, quia mulier nullam dedit dotem d. S. Sed si uxori l. si non 3. l. vlt. C. de fals. caus. adiect.

47 Aut expressa certa quantitate legauit, hoc modo, uxori meae 100. aureos in dotem mihi datos do lego: valet legatum d. S. 15. l. 75. S. 1. de legat. 1. l. legauit. in fi. ff. de liberat. legat.

48 Idem obtinet si instrumenta dotis certam quantitatem certumue corpus dotis promissa in se continentia legauit: tunc n. summa illa vel corpus ab herede est praestandum l. 1. S. 7. ff. de dot. praeleg. d. l. vlt. C. de fals. caus. adiect.

49 Res porro quae nondum in rerum sunt natura, futura tamen sperantur, recte legari possunt. l. quod in rer. nat. 24. de legat. 1. S. ea quoque 7. Inst. eod.

50 Si testator rem suam sciens alij obligatam leget, valebit legatum: eamque rem heres (nisi contraria appareat testatoris voluntas) luere tenetur S. sed et si 5. Inst. h. l. si res. 57. ff. de legat. 1. l. praedia C. d. Fideicommiss.

51 Verum non propria solummodo, vt diximus th. 33. sed & alienae res legari potest S. non solum Inst. h. l. cum seruus 39. S. 7. ff. de legat. 1. Vbi itidem testatoris scientiam requirimus. Nam si ignorans tanquam suam legauit, non legaturus forsitan si alienam sciisset inutile est legatum l. cum alienam C. de legat.

52 Nisi & hoc loco contraria testatoris voluntas praesumi possit, vt puta si coniunctae personae, parenti, uxori, vel alicui cognato res aliena sit legata, quam testator suam putauerit, consistet nihilominus legatum d. l. cum



alienam C. de legat. Verisimile siquidem est, eum tali personæ quouis modo fuisse legaturum.

53 Sic è conuerso si quis rem suam quasi alienam legauit, valet legatum: quia vt ait Imper. Iust. in S. si quis rem 11. Inst. h. t. plus est in veritate quàm in opinione

54 Rem verò alienam legatam heres à domino redimere tenetur, legata riq; prestare: nisi dominus eam aut prorsus non, aut immenso precio vendere velit, tum estimationem eius prestari sufficit d. S. non solum. Inst. eod.

Quæstio.

55 Quid si autem rei alienæ legata viuo adhuc testatore legatarius dominus est factus. An eius estimationem petere potest? Distinguendo respondetur. Aut n. acquisiuit dominium ex causa lucratiua putà donatione: & tum estimationem eius petens, doli mali exceptione repellitur: quia due causæ lucratiuæ in eundem hominem eandemq; rem concurrere non possunt S. si res aliena 6. Inst. h. l. nam quocunq; 82. S. vlt ff. de legat. 2.

56 Aut nactus est dominium ex causa onerosa p. emptionis: & heredem ex testamenti actione teneri dicimus d. S. 6. & l. omnes debitores 17. ff. de Ob. & Ac.

57 Ex rebus alienis excipitur res legatarij, quæ eidem legari non potest, adeò vt nec estimatio ab herede sit prestanda S. sed si rem 20. Inst. h. t. l. proprias cum ibi not. C. de legat. quia quod proprium est alicuius, amplius eius fieri non potest. l. cetera S. 1. de legat. 1.

58 Nec subsistet, etiamsi post factum testamentum res illa fuerit alienata d. S. & d. l. cetera S. 1. Quod n. ab initio vitiosum est tractu temporis non potest conualescere. l. 1. ff. de Reg. Cat. l. qui ab initio ff. de R. I. Et hac de reb. singulis.

59 Vniuersitate legata omne augmentum ac detrimentum legatarium respicit. Vt si grex legetur, omnia quæ postea accedunt, ad legatarium pertinent l. grege 21. cum l. seq. ff. de legat. 1. licetq; ad vnã ouem peruenerit, quæ superest, vindicari potest d. l. & S. si grex Inst. d. t.

60 Sic adibus legatis etiam ea quæ post factum testamentum adiecta sunt, debentur l. 41. S. pen. ff. de legat. 1. S. adibus Inst. h.

61 Aliud dicendum si vsusfr. gregis aut adium legatus est. Hoc n. casu vnica gregis oue superstite nihil debetur l. vlt. ff. quibus mod. vsusfr. amitt. Adibusq; incendio consumptis extinguitur vsusfr. ita vt nè arca quidẽ quæ superest, vsusfr. debeat S. pen. Inst. d. vsusfr.

62 Idem in peculio obtinet, quod & ipsum crescit, decrescit, & interit l. peculium

peculium



peculium nascitur ff. de peculio. Ideoq; & ipsius incrementum, diminutio  
& interitus ad legatarium pertinet l. deniq; 8. S. vtrum ff. de pecul. legat.  
l. 65. ff. de legat. 2.

63 Non solum autē res corporales, vt fundus, homo, vestis, aurum, argen-  
tum & c. verū etiam incorporales vt sunt iura, & obligationes legari pos-  
sunt. l. cum seruus 39. S. vlt. l. 41. de legat. 1. seruitutes tam personales quā  
reales arg. t. t. de vsuf. legat. & t. t. de seruit. legat.

64 Obligationes verò legari possunt, & ea, quae in dando consistunt, &  
quae in faciendo. In dando, vt si testator à Titio sibi debitum Sempronio le-  
gat hoc modo: quae Titius mihi debet, ea heres meus Sempronio dare da-  
mnas esto l. si sic legatum 75. S. 1. l. 82. S. qui Caium. l. 105. de legat. 1. &  
& l. 18. C. eod.

65 Hoc casu: quia non ipsa pecunia, sed obligatio tantū est legata, ideo  
tenetur heres prestare siue cedere legatario actionem duntaxat illam, quā  
tanquam heres habet contra debitorem hereditarium: non etiam debitum  
exigere, & exactum prestare, sed hac cessione liberatur dd. ll. & l. 76. S.  
quod si quis. eod. & l. 13. de legat. 2.

66 Nisi testator vivus pecuniam exegerit à Titio debitore suo: tum n.  
ademisse legatum videtur, ac proinde extinguitur S. tam autem. Inst. h. t.

67 In faciendo consistit, si factum aliquod legatum, p. damnas esto heres  
domum Titij reficere, vel Tuium aere alieno liberare d. S. tam autem. &  
l. 49. S. vlt. de legat. 2.

68 Creditor item debitori suo, vicissim debitor creditori suo liberationem  
legare potest. Vbi tamen posteriori casu (nè contra naturam legatorum  
peccetur.) plus in legato quàm in debito sit, necesse est S. si quis 13. cum seq.  
Inst. h. t. l. non solum 8. S. 1. ff. de liberat. legat l. legatui 25. eod.

69 Vnde creditori rectè legatur purè, quod ipsi debetur in diem, vel sub  
conditione; idemq; est, si quod longiore loco debebatur, debitor citiore  
leget. Nam & loca diem habent S. loca, Inst. de V. O. Quam ob causam  
legatum in his valere placuit, propter commodum sci. representationis l.  
Sin autem. 29. ff. de legat. 1. S. ex contrario Inst. eod.

70 Nec in solidum tantū ac perpetuum, sed etiam in partem ac ad  
tempus liberatio fieri potest: habebitq; hoc tempus liberationis non solum  
debitor donec viuat, verū etiam heres ipsius d. l. non solum.

71 Dubitatur hoc loco, an si viuo testatore debiti quod creditori legatum Dubium.  
est diem venerit, vel conditio extiterit, legatū subsistat: an verò intercidat?



Posterius vult Paulus in l. debitor 82. in pr ff de legat 2. A quo dissentit Papinianus in l. 5. ff. ad L. Falcid. Cuius sententiam à Iustiniانو in allegato §. ex contrario Inst. de legat. approbatam sequendam putamus:

72 Sed & generaliter res aliqua legari potest, modò certos determinatosq; fines habeat, vt seruus, bos, asinus &c.

73 In tali legato generali quæri solet cuiusnam sit electio, legatarij an vero heredis? Et licet aliàs regulariter electio est debitoris, qualuetiam est heres, vt sit in speciali re legata: item in legato disiunctiuo l. 39. 45. §. 1. de legat. .i. in legato tamen generis contrarium obseruatur, & electio est legatarij §. si generaliter 22. Inst. h. l. 108. §. 2. de legat. .i. l. 2. de optio. legat: qui tamen optimum eligere non debet. dd. ll.

74 Fundo autem vel domo generaliter legata propter incertam demonstrationem inualidum est legatum. Etenim vnica gleba aut modicu. l. cùs fundus dici potest l. locus. de V. S.

75 Quoad optionis legatum discrimen notandum inter ius vetus & nouum. Iure veteri hoc legatum fuit personale, & legatario non eligente aut optante, heres eius excludebatur l. 2. ff. de opt. legat. Vlp in frag. t. 24.

76 Iure nouo legatum hoc non amplius conditionem personæ adnexam habet: sed illud fauore vltimarum voluntatum ad heredem legatarij transire Iustinianus voluit §. optionis 23. Inst. de legat. Wesenb. in parat. tit. de opt. vel elect. legat.

77 Pluribus autem in eligendo corpore in se dissentientibus sorte illud disfidu erit componendū: ita vt quem sors prætulerit illius sententia in optione præcellat l. fin. in pr. C. commun. de legat. d. §. optionis 23. Et hæc de materia,

**Forma.**

78 Forma legatorum hodie certa & solennis nulla est, dummodò verbis dispositiuis relinquuntur l. in legatis 21. C. de legat. l. 1. & 2. C. comm. de legat. Nam quibuscunq; verbis; imò & nutu dari possunt l. nutu 21. in fi. ff. de legat. 3.

79 Quod ita intelligendum, vt quinq; testes & alia coniectura relictum probent; isq; nutu relinquat qui loqui potest; alioqui si morbus ita obstat, vt omnino loqui non possit, nõ valebit Fideicommissum d. l. nutu vbi glos. h. t. l. in epistola 22. C. de fideicommiss.

80 Sic etiam quouis modo vel purè, vel cum adiectione dici, conditionis, demonstrationis, causa, poenæ, etc. legari potest. Vbi tamen magna est de iure veteri & nouo differentia.



81 Nam primò iure veteri ante heredis institutionem inutiliter legabatur S. ante heredis 34. Inst. h. Vlp. t. 24. S. ante. Paul. lib. 3. sent. tit. 6. S. 2. Est n. heredis institutio basis & fundamentum testamenti l. quod per manus 10. ff. de iure Codicil. ideoq; ante eam nihil rectè fieri poterat.

82 At hodiè iure nouo, quia praposterus ordo non vitiat actum, vt in stipulationibus videre est S. stipulatus Inst. de inut. stip. propterea etiã ante heredis institutionem relictum legatum valebit, idq; propter voluntatem testatoris, qua preferenda est ordini scripturae

83 Deinde iure veteri nec post mortem heredis nec legatarij poterat legari S. post mortem 35. Inst. h. Paul. lib. 3. sent. tit. 6. S. post mortem.

84 Hodiè ne propter nimiam verborum subtilitatem testantium voluntas impediatur, vtrumq; est permissum l. vnic. C. vt act. ab hered. l. scrupulosum C. de contrah. & committ. stip.

85 Tum iure veteri legata vt & libertates & fideicommissa poena nomine relictæ non subsistebant, nè quidem si à milite id factum erat S. vlt. Inst. h. t.

86 Iure nouo autem contra strictam iuris regulam intestantium fauorem constitutum, vt istiusmodi legata valeant l. vnic. C. de his qua poena nomine & c.

87 Nisi impossibilia aut probrosa fuerint legata, qua ipso iure nulla sunt Finis. d. l. vnic.

88 Finis legatorum est, vt benignè fiat legatario, & ita liberalitas exerceatur. Effectus.

89 Effectus præcipuus est translatio dominiij: quod nimirum in puro legato statim à morte testatoris dominium transeat ad legatarium l. à Titio 64. ff. de furt. l. vnic. S. in nouis. ibi & dies legat. C. de caduc. toll.

90 Actiones ad legatum consequendum 3. competunt. Rei vindicatio, hypothecaria & personalis d. l. à Titio & l. 1. & 2. C. com. de legat.

91 Hinc Coronidis loco asserimus legatarium non propria auctoritate l. 13. ff. quod met. caus. arg. l. non est 176. de R. I. neq; via executiua rem apprehendere debere S. nostra a: Inst. h. l. 1. C. comm. de legat. Menoch. Questio. remed. 4. adipisc. poss. n. 694.

92 Sed quid si testator legatario id permiserit, Adhuc idem affirmandum censemus per d. l. 176. iuncta l. 55. de R. I. Diss.

Vulg. Dd. in l. 34. S. 1. de legat. 2.

F I N I S.











